



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An sola fides sit tota iustitia hominis. tit. 50

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

dium, per quod Deus incipit iustificationem, sed per alias virtutes Spiritus sancti, Gal. 5. sacramenta, opera, perficit Deus iustificationem, quæ tunc perfecta est, quando post incinerationem homo resurgit. Philip. 3. Expectamus saluatorem &c. Sunt ergo & multa alia media, per quæ nos Deus per totam vitam facit iustiores &c.

Quintò, asserere quòd fides sola vnico momento, ante omnia opera, & sine respectu sequentium operum totaliter iustificet & saluet, & tota sit iustitia hominis, si vt nihil aliud sit ad salutem necessarium, nullum aliud medium, sine scripturis dicitur, quando scriptura nedùm fidem, sed & alia Spiritus sancti dona, sacramenta, opera commemorat & exigit ad salutem. Fides igitur initio apprehendit remissionem: sed charitas & pia opera retinent, & perficiunt vitæ iustitiam supra iustitiam mentis, & sua habent præmia accidentalialia, &c.

*AN SOLA FIDES SIT TOTA
iustitia hominis.*

TITVLVS L.



Rimò in homine duo sic sunt coniuncta, quòd vnum sine altero esse non potest. Si debeat dici & esse viuens homo, id est, anima & corpus, hæc duo faciunt verum hominem, sed quamprimùm separantur, non manet hominis nomen. Sic fides & charitas sunt connexa, vt quàm diù hæc simul sunt coniuncta, efficiât integram iustitiam, sed si separâtur, non retinent integram & totam iustitiam, eò quòd ad plenam iustitiam exigitur nedùm fides, sed etiam vita iusta. Sic Paulus connectit fidem & obediẽtiam legis, Rom. 3.

Ll 5 Secun

Secundò, hoc verum est, quòd fides reputatur ad iustitiam credenti, sicut Abrahæ Gene. 15. Rom. 4. sed hæc fides debet operari per charitatem, Gal. 5. & tunc est tota iustitia & plena. Si autem separaueris dilectionem à fide, tunc non est iustitia tota. 1. Corinth. 13. Si habuero omnem fidem &c. non charitatem, nihil prodest. Delusio igitur est simplicium, quòd sola fides sit tota iustitia hominis: nam sic maximè propter operibus derogatur.

Tertiò, Abrahæ non solùm fides reputata est ad iustitiam, sed etiam obedientia sua erga DEI præcepta, Genes. 15. Timor Dei, Genes. 22. quòd docturum esset filios & seruos suos timorem Domini & obedientiam Dei, Genes. 18. sic propter obedientiam promittitur semini eius Christus &c. Nedùm ergò fides sola, sed & sancta vita, ac ceteræ virtutes, obedientia, timor, &c. fecerunt eum Deo placabilem, & sibi imputata sunt ad iustitiam. Sic fides & vitæ sanctitas integritate iustitiam. 1. Ioan. 3. Qui facit iustitiam, iustus est. Ergò facere iustitiam, etiam imputabitur ad iustitiam. Et Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, &c. Roman. 8. Si secundum carnem vixeritis, &c. Tota igitur iustitia est fides & vita Christiana, non sola fides.

Fides quidem primò sola apprehendit iustificacionem spiritus sine operibus, sed propter solum Christum: attamen quoniam Deus etiam exigit iustitiam vitæ, aliàs fidei iustitia non retinetur, ideo dicitur tota iustitia apprehensio & retentio beneficij Christi, non sola apprehensio sine retentione &c. Rom. 8. Si secundum carnem vixeris, &c.

Quartò, ex quo scriptura nominat iustos, nedùm propter fidem, sed etiam propter vitã, & ceteras virtutes. Ideò fides non est sola tota iustitia hominis. Sic Noë dicitur vir iustus, Genes. 6. atque perfectus propter sanctam vitam, quandò Deus diluuiò extin-

xit alios peccatores. Sic propter pœnitentiã Ezech. 18. Sic Ioseph Matt. 1. ob vitæ castimoniam. Sic parentes Ioannis ambo iusti, Luc. 1. propter obseruantiam præceptorum Dei irreprehensibilem. Sic Herodes sciebat Ioannem esse virum iustum, Marc. 6. quem & Christus commendat, Matth. 11. Non auditores legis, sed factores iusti sunt apud Deum, Roma 2. 1. Cor. 15. Euigilate iusti, Hebr. 11. Abel propter hostiam consecutus est testimonium, eam fore iustum, & 2. Petr. 2. Iustum Loth oppressum &c.

Quintò, fides igitur in Christum cum obseruantia præceptorũ Dei, est tota iustitia & integra hominis: hæc si diuiseris, non est tota. Ideò vtrunq; præcipitur, fides & dilectio. 1. Ioann. tertio. Hoc est mandatum eius, &c. &c.

Nota, fides illa externa, qua credo Christum natum, crucifixum, mortuum, resurrexisse &c. iuxta litteram & historiam, sine dilectione & operibus proprijs, quæ circa fidem esse debent, non iustificat, neq; saluat. Credo Christũ pro me natum, Lu. 2. sed & ego renasci debeo, Ioan. 3. Ego crucem meam portare debeo post Christum. Mat. 10. Luc. 9. Ego mori ipse debeo peccatis. Rom. 6. Resurgere cum Christo Colos. 3. ad nouitatẽ vitæ. Oportet esse misericordem, sicut Christus inquit Matt. 5. iustum &c. Alioqui fides hæc historię de Christo, nihil proderit, nec iustificat, sed est inanis fides, 2. Pet. 1. Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, 1. Pet. 2.

*AN VERA FIDES SOLA
esse possit.*

TITVLVS LI.

Rimò, Apostolus ad Galat. 5. dicit, quod viuẽs & vera fides est, quæ per dilectionem operatur. Et 1. Corinth. 13. inquit: Fides sine dilectione nihil prodest. Ad Rom.

